

Tekst 3

Plinius vergelijkt Trajanus met vorige keizers.

1 Sic fit, ut di <tibi> summum inter homines fastigium servent, cum deorum
2 ipse non adpetas. Itaque tuam statuam in vestibulo Iovis optimi maximi
3 unam alteramve et hanc aeream cernimus. At paulo ante aditus omnes
4 omnes gradus totaque area hinc auro hinc argento relucebat, seu potius
5 polluebatur, cum incesti principis statuis permixta deorum simulacra
6 sorderent. Ergo istae quidem aereae et paucae manent manebuntque
7 quam diu templum ipsum, illae autem <aureae> et innumerabiles strage ac
8 ruina publico gaudio litaverunt. Iuvabat illidere solo superbissimos vultus,
9 instare ferro, saevire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque
10 sequeretur. Nemo tam temperans gaudii seraequa laetitiae, quin instar
11 ultionis videretur cernere laceros artus truncata membra, postremo truces
12 horrendasque imagines obiectas excoctasque flammis, ut ex illo terrore et
13 minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur. Simili
14 reverentia, Caesar, non apud genium tuum bonitati tuae gratias agi, sed
15 apud numen Iovis optimi maximi pateris: illi debere nos quidquid tibi
16 debeamus, illius quod bene facias muneris esse qui te dedit. Ante quidem
17 ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter magna sui parte velut
18 intercepti devertere via cogebantur, cum saevissimi domini atrocissima
19 effigies tanto victimarum crux coleretur, quantum ipse humani sanguinis
20 profundebat.

21 Omnia, patres conscripti, quae de aliis principibus a me aut dicuntur
22 aut dicta sunt, eo pertinent ut ostendam, quam longa consuetudine
23 corruptos depravatosque mores principatus parens noster reformet et
24 corrigat. Alioqui nihil non parum grate sine comparatione laudatur.
25 Praeterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum civium officium
26 est, insequi dissimiles; neque enim satis amarit bonos principes, qui malos
27 satis non oderit. Adice quod imperatoris nostri non aliud amplius ac
28 diffusius meritum est, quam quod insectari malos principes tutum est.

Plinius, Panegyricus 52.2-53.3